Poesie Latine.

Scanzia M. num. 4. Libro 35 [illegible]

AQVISGRANVM,
REGIA S. R. IMPERII ET CORONATIONIS CÆSARVM SEDES AC METROPOLIS,

MATTHIÆ IMPERATORIS AVTHORITATE, CATHOLICO AC LEGITIMO MAGISTRATVI SVO

RESTITVTVM:

EIDEM SEMPER AVGVSTO IMPERATORI

PERPETVAE MEMORIAE ET OBSERVANTIAE ERGO CVM ELOGIIS IMPRIMIS CAELITVM:

DEINDE

PRINCIPVM ATQVE ILLVSTRIVM VIRORVM, qui in æquißimum hoc opus opem ac operam ſuam contulerunt,

AB AQVISGRANENSI COLLEGIO SOCIETATIS IESV

Carmine deſcriptum, iure merito dedicatum.

PERMISSV SVPERIORVM.



COLONIAE AGRIPPINAE
Sumptibus Bernardi Gualtheri.
ANNO M. DC. XV.





INVICTISSIMO ATQVE AVGVST.^mo IMPERATORI

MATTHIAE

HVNGARICO, BOHEMICO REGI, AVSTRIACO ARCHIDVCI, &c.

PRINCIPI AC DOMINO Clementiſsimo perpetuam felicitatem.

INVICTISSIME Imperator, Domine Clementiſsime. Quamuis defuturi nō ſint qui M.^tis tuę, ſiue virtute, ſiue auſpicijs res feliciter cœptas & peractas fideli enarratione ad poſteros tranſcribent: atq; adeò illud; quod inter cætera eximium eminet, vendicatæ nuper in priſtinam libertatem iuſtitiæ ac Religionis in Regia ſede at-

queauita Imperij Metropoli vrbe tua Aquiſgranenſi: noſtrarum tamen partium eſſe duximus nequaquam committere, vt negotium communi iam fama peruulgatũ, ſempiterna memoria dignißimum, & verò nobiſcũ vel maximè cõiunctum, ſupino quodam ſilentio à nobis præteritũ fuiſſe notari poſsit. Quaſi vero vel prorſus nihil ad nosipſum attinuiſſet, vel quaſi nos in hac publica tãtopere exoptata Catholicorũ diu multumq; afflictorũ reſtitutione, nullam animo voluptatẽ percepiſſemus. Amoliendę itaque ſiniſtrę huius ſuſpicionis negotium datum eſt cuidam è Religioſa noſtra familia humaniorũ litterarũ Candidato, vt famã ter memorãdæ rei, quo cultior certiorque deinceps in omnes partes euagaretur, metro adſtringeret. Promptè qua licuit breuitate rẽ cęteroqui prolixam cõplexus, ſinceritate cumprimis ope

ram ſuam beneuolis lectoribus probauit. Verùm vt illuſtrior tutiorq; prodiret M.^tis tuæ ſerenitatē ſpectabat, vt ſub eius nominis amplitudine ſuā occuleret exilitatē, & aduerſariorum elideret obtrectationes. Nec quiſquā erat alius, ad quem æquali iure ſe referret, cùm tota, quæ hic deſcripta viſitur expeditio, Heroes etiam ac viri Illuſtres quorum hic adſcripta ſunt elogia, M.^tis tuæ honori & exiſtimationi tuēdæ deuoti, admodū ſtrenuè quiſque pro ſuo ordine & ratione munijs ſuis perfuncti ſint. Noſtri porrò iam pridem quoque debiti erat, vt publica velut teſſera gratitudinis, & humilis obſequij noſtri deuotū affectū erga M.^tem tuam conteſtaremur. Idq; non eam ſolū ob cauſſam, quod exiguum hoc noſtrū Soc.^tis Iesv Collegium XIV. ab hinc annis bona volūtate glorioſæ memoriæ Imperatoris Rvdolphi anteceſſoris ac Germani

tui inchoatum, tuamet authoritate amplissimis priuilegijs & immunitatibus sanxiueris; verumetiam quod singularem fauorem tuum eiusdem promouendi & tutandi declaraueris. Iam verò quantumuis exiguum sit, quod à nobis M.tati tuæ dicatum offertur: tamen non tanti refert quàm magnum sit quod datur, quanti refert quàm pius, aut humanus sit affectus recipientis, vt Solysontis Samij in Darium collatum munusculum luculento exemplo ad Posteros transmisit. Neque nobis fas est ambigere, quin pro innata Austriaco sanguini benignitate & M.tati tuæ gratum futurum sit, hoc quale quale munus nostrum, quod à sincero ac simplici animo offertur. Quando etiam ex hoc loco, & tam arctis rerum nostrarum initijs grandius quippiam expectandum nō erat: vbi enim humaniorum duntaxat

offi-

officina litterarum est suprema, aliud inde offerri nequit, quàm quod ab eiusdem artificio procusum fuerit. Erit aliquãdo, ac fortè breui erit, cùm melioribus ingenijs, & grauioribus studijs etiam hoc in loco facultates & otium suppetent maiora ac fructuosiora opera meditandi, quando nimirum propitius Deus gratam hanc mentem viris potentibus indiderit ornandi eius Ciuitatis, ac veteris monumenti, in gratiam optimè meriti olim Imperatoris ac parentis, qui omni sua ope ac opera, omni virtute atque impendio Romanum atque Germanicum Imperium Ecclesiasticis æquè ac ciuilibus bonis instaurauit & auxit Magnus Carolus, qui post æquissimam mortalis imperij, & verè Christianam administrationem in immortale Christi Domini Imperium adscitus præclarum omnibus Christianis

Imperatoribus ac Principibus de se præbuit exemplum, huius & æternæ felicitatis consectandæ. Quam Potentissime M.tati tuę secundùm diuturnam ac prosperam gubernationem tādem euenire omnibus votis enixè apprecamur.

Inuict.mæ M.tatis Tuæ

Deuoti clientes & serui

Collegij SOCIETATIS IESV
Aquisgranensis PP. & FF.



DEO OPTIMO MAXIMO
PATRIÆ VRBIS CIVIVM
AQVISGRAN. SERVATORI,

GLORIOSISSIMÆ CÆLORVM
REGINÆ ÆTERNÆ VIRGINI, MATRI
DEI SOSPITATRICI,

DIVO IMP. CAROLO MAGNO
TVTELARI PERPETVO

L. M. D. D. C.



luit Quirites inter olympicos
Dijudicandis litibus Arbiter,
** Seculna caussarum supremus,* * Sequester, Agellius.
Qui gemina trutinat bilance
Momenta rerum, dirbet æquitas
*Quocunque * scapum vergit: in improbos* * Iugû ex quo lance pendent.
Seuerus vltor, innocentis
Præsidium, columenq́; partis.
Ciuilis, illo Iudice, sontico
Subiecta sceptro seditio, dedit
Rebellionis tristepœnas
*Ad Nemesis * puteal vocata.* * Tribunal.

At censa miti Iustitia arbitro
Dicto triumphat iure tyrannidem,
Victamq; tandem iniquitatem
Cæsareum trahit ad Tribunal.
O numen, æqua facta nocentium
Mensum staterâ; tu merito nefas
Remuneraris execrandum
Iudicio, repetisq; pœnas.
Tu destinatos exitio bonos
*Iusta * cadisci sorte iubes Tui,*
Nil triste formidare Theta,
Effera quod rabies notârat.
Tuq;, innocentum sospita ciuium,
MVNDI IMPERATRIX OPTIMA MAXIMA,
Ætas parentum, quam Patronam
Supplicibus venerata votis
Ambiuit olim sollicita prece:
Tu sempiternum dedecus ex Tua
Et Æde & vrbe depulisti
Hæresibus procul effugatis.
Tu verò Regum gloria fortium,
Proautor vrbis CAROLE, *tu Tua*
Virtute partam, consecratam
Ire fidem paterere pessum?


* Castellæ sortilegæ

Præsente firmasti omine Patriam,
Periclitanti publicæ opem Rei
Promto spopondisti vocatus
* *Indiges auxiliumq́ cælo.*
Et præstitisti. * *supplicio Tuo,*
Votoq́ Matris paruit optimus
Caussæ ille disceptator, æquis
Dißidium dirimens tabellis.
O SOSPITATRIX VIRGO FAVENS ADES,
O LIBERATOR CAROLE SIS VOLENS,
Diuusq́ tutelaris vrbis
A populo precibus VOCATOR.

* Diuu patriæ tutelaris.
* Supplicatione.

AVGVSTISSIMÆ, MAXIMÆQVE SEMPER VIRGINI ΘΕΟΤΟΚΩ, MARIS STELLAE, SOSPITAE, OPITERAE.

DIVOQVE CAROLO MAGNO, PATRIAE PARENTI, TVTELARI, AQVENSIVM ΚΑΤ' ΕΞΟΧΗΝ APOTROPAEIS.



Rana salutiferi dudum pertæsa timoris
Exitiale malum quãtum hæresis euocet orco,
Tetraq́ in humanis ludat fallacia rebus,
Quantum expers noceat mens relligionis auitæ,
Sensit AQVISGRANVM; *vitreis vrbs inclyta venis,*
Sensit, in immanes iterum proiectu ruinas.

Nubila tranquillo credit proſcripta ſereno
* Remis. *Nec colluctari placidis tumida æquora * tonſis*
Inſanas poſitura minas: conuertitur ordo,
* Aperit. *Tempeſtas inopina ruit, * diffibulat vtres*
Ventorum pincerna truces, excita cubiclis
Flamina, & Æoliæ bacchantur in æthere buccæ;
Mundi oculus ſua tela negat; tonitralia pandunt
Se templa, horriſoni deformant æquora fluctus.
Interturbatam linquit proreta carinam,
Naufragium ſibi quiſque parat, viduata Magiſtro
Prora volubilibus quaſſata interſtrepit vndis.
His vrſis miſeram tellus contermina ſortem,
Cognataq; dolent vrbes, quin ſaxa, ſilerque,
Quin etiam aëriæ pecudes, animantia bruta
Auſa loqui; tua ſors, tua nos fortuna fatigat
O clandeſtinis vrbs intricata procellis?
Ingenuæ cui nomen Aquæ, venæq; colores
* Vitri. *Ementitæ * hyali tribuunt, cui nomina mille*
Mille artes. calidis medicari corpora Thermis
Vnde vndæ, magniq; æſtus, rabidiq; furoris
Germina? cur velis adnubilat aura ſecundis?
* Matris Castoris, & Pollucis. *Blanditim geminis * Ledæ arridere puellis,*
Grande operæpretium: tutelatoribus aura
His melior portus eſt laxatura quietor.

Illa

Jlla verecundos mœrens ſuſtollit ocellos,
Luctaturq́; loqui; ſed ſingultantia triſtes
Verba ſecant lacrymæ, tandem eluctata profatur.
. Non ego Ledæos in vota ciebo gemellos,
Sideriosq́ue ignes: Pollucis pro face fax eſt
Jmpolluta mihi, genitrix ſpecioſa Tonantis,
Stella maris, dubÿq́ue micans Cynoſura profundi,
Jlla ſuo motos cicurabit numine fluctus
Et perturbatæ dirimet certamina cauſſæ.
Pro face Caſtoreâ Carolus fax lucida Magnus,
Magnus apud ſuperos; his ſe tollentibus aſtris
Cedet hyems, cadet irâ ſalis, ſpumæq́; minæq́;.
Dixit; & vt pelagi rupes immota reſiſtit,
Vt pelagi rupes, quæ ſe allatrantibus vndis
Mole tenet, neſcitq́; malis conſtantia flecti
Maſcula. Supplicijs tandem exorata benignis
Aſtra benigna micant, gemini duo ſidera mundi
Apparent, pulſis redeunt antiqua tenebris (giſtri.
** Fluſtra, hilares repetunt proſcripta guberna Ma-* * Trāquillitas maris.
O ſuperi, regina, ſoli, terræq́; Monarchis
Stella maris, tuq́; ætherei vetus incola templi
Carole, per ſeros ſerò veneranda Decembres
Lumina, ſeruatam vobis ſacrauimus actam
Fluctibus innumeris puppim, quam numine veſtro

Flecte-

Flectere iter petimus, donec qua sidera sensit
Fausta, palam æternùm videat, colat, amplexetur.

IN PRIMVM, AD D. VIRGINIS AQVENSIVM TVTELARIS, POST RESTITVTIONEM &c. CONVENTVM SENATVS.



Agni quid sibi vult (Decus) Senatus
Et grani (Proceres) quid est aquosi,
Quod, dum limina, dum pios penates,
Et læti veterem su' itis vrbem,
Primùm DIVIPARÆ *petatur Ædes,*
Et templi prius alma tecta volus?
En vos de pharijs quadrata saxis,
Magni Regia CAROLI: *vetusta*
Romano Imperio relicta sedes,
Exspectat reducem patens Senatum,
Et latè querulis aperta valuis.
*Iam migrare nouos iubet * Sinones,*
Raptores citò, sacculariosque
Errones, simul & simul Thrasones.
*Non versutus ibi amplius Phrynondas *,*
*Non iam * Curio, * Sisyphusque nullus,*
Discessit grauis inde DEPVTATVS.
Omnis vos resonat locus, forumque,

Omnis

* [illegible] Tio[illegible] on.

* [illegible] [illegible]us [illegible]

* [illegible]tor R[illegible]

* S[illegible] [illegible]lis [illegible]fer.

Omnis vos canit ordo, cantat ætas,
Vobis inclyta Ciuium corona
Optat dicere millies salutem,
Et portare suis Auere verbis.
Primam (dicitis) at, decet Salutem,
Et primum dare Nos Aue Parenti,
Tum Gnatos citò conuenire Matrem.

RESTITVTIONIS
CATHOLICI, AC LEGITIMI
MAGISTRATVS, QVEM SEDITIOSA
HAERESIS DENVO DE GRADV SVO
Aquisgrani deturbarat, poëtica
sinceraque
ENARRATIO.



Imensum Phœbus iam ter decurrerat orbem,
Præpete Stellimicum curru ter fluxerat axem
Certumq́; obliquarat iter: Plutonides ex quo
Noctisata, stimulis furiarum ardentibus acta,
Armauêre suas, funesta ad bella cohortes,
Bella exosa Deo, quibus inueterata suorum
Exacuêre odia, & cæco inflammata furore

In fidei exitium capita igniuère nefanda.
Prisca videbatur lauru redimita virenti
Exultare Fides, & auitum indepta decorem*
Alite vectari per AQVENSIA *mœnia cŭrru,*
Qualis erat, niueo verrentem vt Syrmate terram
*Exciperet reducem ex * Vrsæ Boreëtidis ora*
Regnatorem orbis, spolijs Aquilonis onustum.
Non tulit antiqua Diuam iuuenescere forma
Abstersóque situ, & vietæ squalore senectæ
In veterem recoqui speciem, feralis Auerni
Progenies. Fidei successibus ægra vetustæ
Hæresis, & residem collectis viribus iram
Acrius exstimulans, liuenti intabuit ore,
Non ignara sibi certam impendere ruinam.
Ergóne pacta, inquit, Magni dotalibus olim
Auspicijs Caroli, & regalis muricis ostro
Autorata fides, me prorsum eliminet vrbe?
Exulem AQVISGRANO *ignoti in confinia solis*
*Exigat indecorem? & sperato * fructa triumpho:*
*Relligio, stygios fuget * Auerrunca Clientes?*
Non ita: Tænarios ex Orco excibo Tyrannos
Fautorísque Duces Erebi, atq; exercita bellis
Fida satellitia hæreticis sub mutua cogam
Signa: profanatis ædes demoliar aris,

* Fides ... lem de ... xonia triūphans Magnus Carolus ... inuec... ti.
* Septen- trione.
* Fruita.
* Expul- trix.

Diuo-

Diuorum effundam Cineres, atque abdita bustis
Corpora producam canis cineranda fauillis.
Sacra etiam exuuia, & quicquid procul orbe remoto
*Dissitus, * inuisit stata per Septennia Pannon,*
Tradere Mulcibero, & flãmis absumere mens est.
Quid gentem memorem inuisam, quam miles Iberus
Triste sacramentum in fatalia dicere iussam
Imperia, & nostras iuratam exscindere leges
Vrbibus infudit varijs? quot iam illa per annos
Bella inimica mihi, & tristes denunciat iras?
Hanc ego tam grauiũ caput, autoremqúe malorum
Infami euitabo nece, & vi persequar omni
Intima lethali dum rupero viscera ferro,
Culminaqúe aqua solo victrix fumantia ponam.
Arma furor, furor arma dabit. Prò quanta videbo
Funera? congesta quos cernam stragis aceruos?
Talibus ignescit Furijs, Colubramqúe capillis
Excutit, vt totam subitis permisceat vrbem
Diuidijs, veroqúe animis sublapsa veneno
Erret, & attactos tacitè grassata per artus
Insinuet furiale malum, & dirum ossibus ignem
Implicet Æthnaas vomiturũ ad sidera flammas.
Conueniunt, quibus aut odium crudele piorum,
Aut secta prurigo noua, vel turpis egestas.

* Septennale SS. reliquiarum ostentum insinuat.

Nec mora commoto in populo implacabilis orta
Seditio, ſæuire animis ignobile vulgus,
Atq; Mimallonio ſubigit diſcurrere more,
Ductoris primi ante alios, quibus indice dignus
*Caluinus ſtigmatias. *Forcipe * Literio, ſtagno illa emerſa Lemano*
Afflârat crudum, nixus ſtygijs, Excetra virus.
Et quos Saxonicæ effertus nidore Popinæ
Dementi imbuerat periurus Apoſtata ſucco,
Indomitis rabiunt animis, œſtroq; frementes
Exululant: præſenti omnes depoſcere morti,
Et patrios audent ferro ſcelerare penates,
Inceſtare lares, inuoluere mœnia fumo,
Horrida ſulphureo miſcere tonitrua nimbo,
* Bellona. *Et quicquid belli ſuadet ciuilis, * Enyo.*
Maius adorta nefas, maioremq; orſa furorem
Gens effræna virûm. & ſquarroſæ plebis amurca
In Delubri adyta, & ſancti penetralia Templi
* Imagines SS. Angelorum. *Irruit, & * volucres mundi melioris Alumnos*
Funeſtis lacerat manibus, Diuumq; reuellit
Effigies, temeratq; Dei quos dicimus agnos.
Hoc niuea orbiculis impreſſâ ab imagine nomen
* *Cera trahit, ſed cera ſacro venerabilis vſu,*
Pontificum manibus ſacratum Chriſmate munus,
Pignora grata pijs, diuiniq; arrha fauoris.

Dum

Dum ſtygij proceres vafro infortunia ritu
Conglomerant, magicoq́ dolos ſub carmine texunt,
Magno vſu obijcitur nocituris teſſera technis:
Hinc meritò accreuit ſanctis reuerentia ſignis.
At malè ſana cohors Furiarum erroribus acta,
Nil priſca pietatis habens, diuina profanis,
Subijciens pedibus ſcurrili cuncta cachinno
Excipit, & tetro peſſundata puluere ſpurcat.
Pars efformatum, reuerendisq́ vſibus aptum
Traijcit aratâ petulanter arundine panem
Fortè Sacramento Chriſtum pro more teneri
Indignata Patrum ſuccenſens ritibus iras
Euomit, in nudis violans myſteria ſignis.
Pars obteſtantes ſuperos, genibusq́ beata
Limina verrentes, liquentis grandine plumbi
Exterrere parat, cæſosq́ ante ora ſodales
Turbam inter mediam ſacris affligere ſaxis.
Pars claros populi proceres, auguſta Senatus
Lumina, & è primo conſcriptos ordine Patres
Exturbare domo, & ſupremis faſcibus orbos
Contemptosq́ gradu mouet; hinc pars obice portas
Emunit, clauſamque artat compagibus vrbem.
Ebria ſucceſſu, & rebus ſublata ſecundis
Hæreſis, edomitos iuga cogit ahenëa ciues

* Iudiciorum.

*Accipere; illa omnes * Rostrorum Antistita leges*
Abrogat; illa ferox proscripto lure Tribunal
Frigit; illa nouis sub sellia sacra Magistris
Opplet, & imperio sontes absoluit herili.
Quid faciat superata Fides? quid nobilis olim
Metropolis veterum Domus illustrißima Regum
Speret AQVISGRANVM? *quo tetrā vindice pestem*
Deturbet solio, & prisco se reddat honori?
Humectam lacrumis, oculorumque imbre rigatam
Induitur tunicam, & gressu titubante vacillans
Terrarum arripit Domino, Diademate nuper
Insigne Imperij Genus alto à sanguine Regum
AVSTRIACISQVE *illustre atauis aditura, querellas*
Aggerat, & crebris singultibus interruptas
Extrudens voces, postquam laxata dolori
Est via: & ingressæ coram data copia flendi,
Prona vtroq; genu, lacrumis sic ora resoluit:
DIVVM *orbis columen,* MATTHIA AVGVSTE, *supreme*
Imperij Præses Romani, Æquißime Vindex,
Perfidiæ hæreseon habite olim immobilis Vltor,
Illa ego Teutonicæ quondam ditionis ocellus,
Magnorum fecunda Ducum, mundiq; Dynastis
Grata olim sedes, & nulli laude secunda
Cognatis habitata Tuis; non qualis honorum

Irra-

Irradiata caput Ductoribus obuia fudi
Agmina magnificis, Francisq; palatia sternens
Regibus, auratos admisi in tecta tyrannos;
Sed mœrens. fletuq; oculos subfusa nitentes
Sublimi aduoluor solio, atq; ingentibus icta
Curarum stimulis, rebus solamen in arctis
Cernua deposco. Leges abolere Patritas,
Et noua Sacra dare, & nec Dijs, nec legibus vllis
Accipere imperium, vetitosqúe capessere fasces
Trux ausa Impietas, vicino armata tumultu.
Expulit vrbe Fidem, & sancti Consulta Senatus.
Sacrilegis triuit pedibus, famulisque nocentum
Concilijs armata forum Astrææq; dicatam
Iustitiæ sedem victricibus occupat armis.
Ciuibus insultans; & ni Tua cura resistat
Funditus occiderit primæ longæua Coronæ
Diributrix, sceptriqúe heres. Neu quale piorum
Exitium in iugulos ausu est commenta nefando?
Quàm petulante vrbis proceres incessere sanna
Non verita, inqúe sacros cœli grassata Quirites
Templorum decora excisis pessimdedit aris?
Heu mihi! quæ rerum facies quàm tristis imago
Illa nocte fuit, qua proructata Barathro,
Fronte minax, armata manu, atque incondita voce

Impie-

Impietas trepidam incendit mugitibus Urbem?
Et iam barbarica sauire Tyrannide paßim
Insistit, premere insontes pedibusq; supremam
Proculcare potestatem: nilque abfore credo,
Quin geminis vicina polis fastigia prenset.
Plura meus, meus ille fide mihi perpete nexus
Consul habet, fidis quæ prompta annalibus edat.
Te, Pietas, polluta rogat, Te perdita Iura
Ultorem implorant, CÆSAR, *Te debita regno*
Maiestas, virtusque adigunt, vt prodiga iusti
Improbitas commissa luat, penitusque sub Orcum
Profligata Tuum agnoscat violentia Sceptrum.
Iret adhuc in verba dolor, nisi CÆSAR *ab aurêo*
Assurgens solio, facili vota aure bibisset,
Sic Natam affatus: non te patiemur inultam
Filia, damnosam delebit SPINOLA *pestem:*
Tu modò surge metûs exsors, te nulla recidet
Impietas, sceptro tantùm famulabere nostro.
Dixit, & afflauit sobolem meliore iuuenta;
Continuò antiquus rediit vigor, & noua forma
Gloria mutata, speciesque recanduit oris,
Et nouus excussa micuit formidine vultus.
Tempore fors illo caput insuperabile bello
SPINOLA, *Gradiui fulmen, quo vasta tonante*

Regna tremunt, Regiq́ue pauent ſine honore rebelles;
Ad Pallatinam MATTHIÆ *aduenerat Aulam,*
Cui CÆSAR: *Generoſe Heros, felicibus armis*
Cognite; quem varias virtus ſpectata per artes
Clarauit, ſcelere indomito furit hæreſis atrox
Imperium aſpernata meum, ter perfida quiduis
Audet AQVISGRANI; *longa eſt iniuria, longæ*
Ambages; ſed tu florentes ære cateruas
Delige bellorum ſocios, armiſq́ue rebelles
Sub mea iura voca, agnoſcant picta alite ſigna
Armigerâ. famulâ telorum, igniſq́ue miniſtrâ;
Si panſas renuant alas, infigat aduncos
Alituum Regina pedes: ſi immitia malint,
Vngula, pro penna eſt; nec opus monitoribus vllis;
Inuenies virtute viam: Nihil ille moratus,
Vindictam mandâſſe ſat eſt, plus Alitis horror,
Quàm ferrum vel miles aget, parebitur, inquit.
Sic fatus, pubem inuictam, & notiſsima Marti
Robora decerpit, conſternatoſq́ue futuræ
Omine Bellonæ gaudens inuadit Aquenſes.
Decliui iam æſtate Leo propiora regebat
Sidera ad Erigonen, quando celeberrimus armis
SPINOLA, *præcipuos lecta de pube maniplos*
Mœnibus aduertit, ſummiq́; è vertice montis

Impendens pauidæ multis cum millibus vrbi;
Si frenum accipere & victi parere recusent
Fundamenta ima vulsurum à sede minatur,
Hausurum celeri igne domos, disiectaque saxis
Saxa, a lictorum capitumq; infanda struentium
Imbuturum vltrix scelerato sanguine ferrum.
Sic ait; & ductis irrumpit sidera vallis,
Et propiore ignêo flammam eructantia furno
Disponit tormenta loco: Iam mœnia Ductor
Lustrat eques turrita, nigro iam turbine campus
Pulueriam offundit nubem: strictisq; coruscum
Attonitæ obiectat speculæ mucronibus agmen.
Hæc ille; at meritis, & auito sanguine clari
Turbatam mandata ferunt Heroes in vrbem
Cæsarea *signata manu, nisi protinus omnes*
Portarum laxent aditus & iussa facessant,
Iustitia meritam luituros vindice pœnam.
Quid capita exanimata metu? quid cetera plebes
Concussaq; pauore tribus? quid turgida fastu
Hactenus impietas, colloq; erecta superbo,
Quo nunc præsenti Nemesis ferienda flagello
Declinet fatum effugio? vel iussa sequenda;
Cuncta vel extremis capita obiectanda periclis.
Alternant omnes tanto in discrimine curas

Vita

Visa fuit potior sententia, dedere sceptro
Omnia Cæsareo, & dubiæ se credere sorti.
Ergo vbi præcipiti terris illuxit Eous
Sextili, geminoqúe rubens in cardine Phœbus
Auripedes euexit equos, reserata iubentur
Limina reclusis Dominos admittere portis.
Tum demum horrisono stridentes cardine postes
Insolito tremuere sono, foribusq; reuulsis
Acclinata Dvci, *summißis Valua cathenis*
Annuit ingresso, & bipatentem immisit in vrbem.
Quis mihi nunc strepitus sontũ, & tremefacta tu-
Pectora? quis trepidos paßim per cõpita ciues (multu
Præcipiti effusos cursu, omnia tuta timentes?
Quis vulgus mussansq; metu, attonitumq; pauore?
Desertasq; domos, desolatosq; penates
Expediat? nuper titulis & fascibus aucti
Vita emptum censent quo depelluntur, honorem
Ante alios belli fomes; quo flante cruentum
Dißidium incaluit, tenebris adiutus opacis
Mœnibus erupit, quàm nunc versasse tenaci
Forcipe se mallet, cui quondam assueuerat, aurum?
Iam rigido horrentis chalybe, & ferrugine clari
Ingreßi portas equites, nutantia conis
Ostentant capita, & ferratæ tegmina siluæ,

 Igniuo-

Igniuomosq́; agitant sclopos, ensesque minaces,
Per vicos Marte infessos, ipsi ære latentes
Arma inter media, & splendentis fulgura ferri
Cornipedes fumantem implent hinnitibus æthram.
Ipse inter proceres, & Martia fulmina Ductor
Altius assurgens, phaleris insignis, & auro
Terga premebat equi, spumantiaq́; ora coërcens
Alipedem aurato fodiebat calce caballum,
Imbellem ferro parcens prosternere plebem.
Qualis, vbi Othrysijs Mauors excitus ab aruis
Sanguine rorantem currum, infectosque cruore
Ante agit clypeos, atq; arma madentia tabo
Innocuo graditur subiecta per oppida cursu.
Si sopitum aliquo patienti læsa furorem
Excitet assultu, pendentiaq́; arma lacessat,
Vadit inhumanâ per cæsa cadauera strage.
*At procul astrigero vidit cùm * Cyllarus ore* * Equus Castoris
Quadrupede inuectum generoso, ædiq́; propinquum
Inuidit, motóque eiectans Castora dorso
Impatiens sessoris AMBROSIANA *lupata*
Maluit atq; Italum, cõmandere dentibus aurum.
Ille alacri sublimis equo plaudente per vrbem
Agmine stipatus, saxo constructa vetusto
Limina, & antiquo fundatũ è marmore Templum

Solenni

Solenni ingreditur pompâ, supplexq́; potentem
Cælorum veneratus Heram, proscribit Erinnyn
Fanda infanda ausam, atq; vrbē custode coronans
Antiqua ciues sub relligione manere
Imperat, & socio tandem se concitus aufert
Milite, iuratos domiturus CÆSARIS *hostes.*
Sic tandem Impietas manibus post terga reuinctis
Tænario damnata Erebo, centumq́; catenis
Vincta, furens super arma sedet ciuilia, & atro
Nequicquā ore fremens patrio constringitur Orco.
At victrix vndante Fides defuncta procella,
Luce afflata noua, & largo lustrata decore
Exerit auricomo radiatam lumine frontem.

AD S.D.N. PAVLVM V. PONTIFICEM MAXIMVM.



OElorum interpres, Sanctißime PAVLE, *supreme,*
Cernua quem prono poplite terra colit.
Qui Christi molire vices, qui summa piorum
Gloria Pontificum iura sacrata rogas.
Qui totum lustras oculis vigilacibus orbem,
Et quacunq; tuas parte vagentur oues,

Qui rabidos terrere lupos, & inesa mapali
Insidiata soles pellere monstra tuo.
Qua te laude feram? meritis qua digna rependam
Carmina? qua curis Musa sat apta tuis?
Nuper Aquensem auida longè truculentior Vrsa
Depopulabatur belua sæua gregem.
Grex tuus effuso deserta per auia cursu
Ibat, & ignoto per loca senta situ:
Sanguine suffectos oculos, rictumquè timebat
Vulnificum, atque trucis vulnera dira Feræ.
Aëra complebant trepidi balatibus agni,
Spes exspectatæ nulla dabatur opis:
Tu sparsas miseratus oues, per deuia pulsas
Colligis exerto, Mysta Supreme, *pedo,*
Consilio, auxilioquè iuuas, pecoriquè tuendo
AVSTRIACI *adsciscis Nomen, & arma* DVCIS.
Sic quoque Romanum tuitus fuit ante Tiaram,
Magnus Aquisgrani Carolus *vrbis honor.*
Tu Christi in toto, diuine Vicarie, *mundo*
Pastorali illi reddis amore vicem.
Sic decet, vt Christi quando de rebus agendum est
Cum Diuo *imperium* CÆSARE *Papa gerat.*
Quam benè quando sacri assistit Diadema Tiaræ,
Cùm sacra quod Clauis *sciscit, id* Ensis *agit.*

AD INVICTISS. ET SERENISS. IMPER. DIVVM MATTHIAM AVGVST.

Vrbis liberatorem, Sospitatorem Fidei.


Vgustißime Principum Monarcha
M ATTHIA; *caput Orbis vniuersi*
Quem miti Toga purpurata Cocco,
Et gemmis * *Anadema bracteatum* * Corona.
Aiunt esse fidelibus colendum;
Quem tinctum * *Oebalio sagum cruore,* * Purpureo.
Et cocto solidata caßis ære
Aiunt esse rebellibus timendum.
Æterno Tibi dedicata nexu
V RBS *orbis decus, orbis inclytorum*
Sedes Præsidum ocellus orbis olim
Grates ore refert sereniori,
Quid fingo malè? non refert: habere
Si poßit, cupit. Accipe ergo grates
A fida Tibi debitas Clienta,
Tantò tam potior Tibi Clienta
Quantò T V *melior sibi Patronus.*
Quam nullo impietas vagata freno,

Quam

Quam iusta improbitas soluta lege,
Quam cæca Hæresis efferata Erinny,
Illam impunè tuos ferocientem
In Ciues, & in omnium bonorum
Grassantem capita, in vetusta iura,
Spernentemq́; patrita sacra Templi
Profligas, & in extimas fugatam
Ferro igniq́ue plagas Stygi relegas:
Succurrunt Tibi Principes propinqui,
Applaudunt Tibi subditi fideles,
Promittunt Tibi Cœlites triumphum,
Abdicunt Tibi ceteri obsequelam.
Viuax plurima Fama per nepotes
Transfundet memori notanda Cedro.
Nunc vna tibi voce concinentes
Senatum populumq́; CÆSAR audi.
Augustissime Principum Monarcha,
MATTHIA *caput orbis vniuersi,*
Quot pœnas Tibi debet vrbs rebellis,
Tot grates Tibi debet vrbs recepta.

EVCHARISTICVM ELEGIDION

AD DIVAM AVGVSTAM, &c.

VRBIS AQVENSIS * SISPITEM, OPITV-
LATRICEM, PATRONAM MAGNAM,
Prælustrem, Præpotentem.

* Sospitā, antiquum Iunonis epithetū.



Ene, AVGVSTA, * *Charis sileat? Te* — *Gratia.
* GRANVS *Apollo*
Intactam tacita prætereatq; fide?
Te sceptri mundiq; potens Herois, inausa
* *Castalis Aonio pingere flore neget?*
Haud Charis vsque adeo rimoso corde fatiscit,
Vt Tua per rapidos sparserit acta Notos.
Sed premit, & condit memori benè mente, fidelem
Quam porrexisti, Sospita Iuno, manum.
Ergo, AVGVSTA, *faue; Vatem bona respice, thyreo*
Quem Charis, & GRANI *laurea* * *Mœnas agūt.* — * Musæ.
AVGVSTO, *ex meritis, Augusta, secūda Monarchæ,*
Te sociat Domino pagina nostra Tuo.
Grata sequestrorum laudatrix Pacis Aquensis
Pagina, Phœniceis Te miniatque notis.
Nam Tu Granopoli es vindex, Pacisq; sequestra
Ex vero, votis, consilijsque Tuis.
Quis proflata Tuæ memoret suspiria mentis,
Queis flammante velut pectore hiascis Aquas?

* Epith. Apollinis vnde non nemo dictū putat Aquisgranum.
* Musa Castalij fontis Nympha.

Dixisti quoties: ô si mihi purpura detur,
Et gemmatus apex tempora nectat Aquis?
O Sanctos CAROLI *cineres, & Mausolei*
Pignora si liceat figere pressa labris?
Si liceat templum Parijs sublime columnis,
Et picturati visere signa tholi?
Lipsana si liceat longum seruata per æuum
Ossaqué synthesibus posta videre suis?
Basia si liceat Christi, intactaque Parentis,
Cœlituumqué pijs iungere Relliquijs.
Prò pudor! Hæreseos rabientis Erinnyos ausu
Jncana ex Caroli pellitur vrbe Fides.
Hæresis incestat trabeam, fascesqué Patrumq́;
Concilium, & volgus, flexibilesqué nurus.
Hæresis, vt fellis Lernæi fœta colubra,
Grani vipereo semine spargit Aquas.
Hæresis infanda Carolinos fraude Penates
Heu? scelerat, bellum cœlicolisq́; mouet.
O ego Pegaseo si nunc per inania dorso
Transueherer, votis annueretq́; Deus?
Jrem, transfugeremq́; Notos, celeresq́; sagittas;
Jrem vltrix Fidei, iuridiciqué Fori.
Sed quia fata negant, & stamina pulla Sororum;
Tu Nemesis partes, INDVPERATOR, *age*

Cycla-

*Cyclados albenti * cinctuta Adraſtis amictu,* * veſtita Iuſtitia.
Juſtitiæ manibus credidit arma Tuis.
Enſem fulmineum, iuſtoqúe examine lances,
Crimina queis mundi fanda, nefanda moues,
Hæreſeos fraudesq́, catenatoſqúe tumultus,
Armaqúe ſuſpenſo ciuica pende iugo.
Macta animis AVGVSTA, *bonũ Tibi ſternuit omen*
AVGVSTVS; *læuus dat quoq; ſigna polus.*
Hæreſis, en, graſſata citò trieteridos orbe,
In caueam, vt pernix tigris, inacta iacet.
Jn cauea iacet exululans, rictuſqúe canini
Dentibus incaſſum ſcindere clauſtra parat.
Incaſſum torua fronte omnia circumſpectat,
Si quibus effugijs rumpere vincla queat.
** Acriſioneis vt quondam eluſa puella* * Danae ab Acriſio turri in-
Tranſennis, vana carpſerit arte fugam; cluſa.
Quam miles ſtricto enſe minax, quam turris ahena,
Quam clamoſus Hylax, munieratqúe Lachne:
Sic, AVGVSTA, *Tuo ex voto * Cocytia larua* * Inferna.
Hæreſis æterno carcere vincta gemit.
Hinc AVGVSTA, *vrbis Grani Tu* Soſpita *nobis*
Scriberis, & talem poſtera ſecla canent.
Hinc Te fama ſuper, geminum latus axis, & Eon,
Heſperiamqúe, ala pennipotente feret.

Hinc notas inter cantaberis Heroïnas
Quas ætas retrò fudit, & alba dies.
*Tu par * Eudociæ famosa per ora volabis,*
Quæ fuit Eoæ firma columna plagæ,
*Tu Gallæ, Fidei pugnabis amore, * Placillæ,*
Quæ vespertino texit in orbe Fidem,
*Æmula * Pulceriæ caput inter sidera condes,*
Qua rectrice aluit pax requieta solum.
*Tu sanctæ * Eidithis vestigia iuncta tenebis,*
Quam rutilis clarant astra comata iubis.
Aëre cum medio suspensa maninfula sedit,
Aram tacturas quæ remorata manus.
*Altera Tu * Cunegundis eris, plenóq; * Mathildis*
Cornu olei, tenues quo saturauit opes.
Hic Chorus Attalico latè conspectus in auro
Heroissarum Te mediam excipiet.
Te venerabundus cœlesti in sede locabit.
Hoc meruit Virtus, hoc animosa Fides.
Hoc Tibi sollicitæ, Caroli pro mœnibus, optat
Vnanimis Grani Curia, Volgus, Eques.
Iamq;, Avgvsta, tori consorsq; Monarcha, valete
Solesque Euboicæ transnumerate Deæ;
Vos duo collucete simul stellantia mundi
Sidera, Latoïs assimulata globis.

* Theodosij filia Valentiniani coniux.
* Theodosij Magni Imper. [illegible] ux.
* Theod[illegible] Iunioris soror, Martiani coniux.
* Othonis M. coniux
* S. Henrici Imper. [illegible]
* Angliæ Regis filia. Henrici V [illegible]

Cynthie Tu Cæsar, nubesque hiemesq; serena;
Cynthia Tu noctis nubila pelle face.
Sic lustrate diu sociali lampade terras,
Et serò astrigeri scandite regna poli.
*Cælicolæ id faciant, quorum sacra pignora * lustro*
Septenni Caroli deuenerantur AQVÆ,
Ad quorum exuuias senio nec edace peresus
Confluit vndanti conuena Panno globo.
Quos petit Arctoï tam discolor incola mundi
Orbis vt exigua totus in vrbe meet.
Eia Viri; matresque viris, puerique puellis,
Immisti vegetor accelerate pedes,
Addite veloces talis pernicibus alas,
Nullus votiuam tardet obexque viam.
Annus it exactis bis ter labentibus annis,
Alitibusq; bonis, ominibusq; bonis.
Auspicijs bonus asserta Pacisque, Salutisque,
AVGVSTVS *subita quam recreauit ope.*
Hic annus, niueo quem pernent vellere Parcæ,
Septenni lustrum condet Aquense vice
Hunc annum, superi date, ne funestet Enyo;
At Lachesis pergat candidus ire colo.
Augusti, Augustæq; fauens successibus, axe
Currat, & albatæ Pacis honore micet.

*Solenni reliquiarũ ostentatio ne omni Septennio peragi solita.

Sic multus Panno, & sociatus Pannone Teuto
Vestra inuicta sibi pignora ritè colet.

Aliud ad Eandem.

AVdierat MAGNO *dignißima* CÆSARE *coniux,*
*Maior quàm Graijs * Penthesilea viris.*
Imperij sedem, CAROLI *inuasisse Cathedram,*
Hæresin, & sacrum contemerare locum.
Protinus ad Grani mißis Vltoribus Vrbem,
Talibus Augusta est Diua locuta modis.
Perfida, CÆSAR *adhuc non est tibi secta maritus,*
Nec tu digna pio CÆSARE, *cede loco.*

* Amazonum regina.



EVCHARISTICON ALIVD.

AVGVST. IMPERATORI MATTHIÆ,

HISPANIARVM REGI CATHOLICO PHILIPPO III.

REVER. VBIORVM ARCHIEPISCOPO FERDINANDO,

SERENISS^mo^. ARCHIDVCI AVSTRIAE, AC POTENTISS. BELGII DYNASTAE ALBERTO,

Aquiſgranenſium Inſtauratoribus.



Nde improuiſas pulſũ pronuper ad oras,
Lucifugasq́, domos vnde reuertis Io?
Vnde redis caſſũ patriâ,tot noctibus ab-
Crebris elicitum queſtibus vnde redis? (ſens
Miſta vaporiferis num te ſuſpiria guttis,
An aqua ad æſtiferas te reuocauit Aquas?
An vota innumeris interuallata querelis,
Anne triennali corda peruſta malo?
Abſciſſum Phœbus reditum ſurgenſve,cadenſne
Reddidit? ille tuæ duxne,comeſne viæ?
*Num te pinnatis iterum * Caducifer alis*
Huc tulit? anne Iouis difluis è gremio?

*Mercurius Deorum nuncius.

Nil

Nil consternatum, nihil est te triste recepto,
Cuncta fremunt oculis exhilarata tuis.
Vnde redis patrijs pulsum astris, vrbe foroq́;
Totque requisitum fletibus vnde redis?
Induperatorum decus immortale priorum
MATTHIA, *Imperij Rexqúe, caputqúe sacri,*
Nunquam Marte vllo, nunquā superabilis armis,
Cuius amant iusti iussa, tremuntque mali.
Diue colorata caput insignite corolla,
Quem mordet maculis Indica gemma suis,
Tuqúe inuictorum Rex inuictissime Regum;
Dux trabeatorum Magne PHILIPPE *Ducum,*
Terra cui fuluis famulatur Dædala grumis,
Quem cumulant donis Indus vterque nouis;
Et tu Boiorum FERNANDE *propagine dimes,*
*Quem colit illustrem * Rhætia culta Ducem,*
Quem Rhenani Vbij quē pronus honorat Eburro,
Cui velat sacras infula sacra comas.
Tuque leonini Princeps fortissime Belgi
ALBERTE, *Austriacæ luxq́;, basisque domus,*
Nobilibus perpes titulis, sacli aurea nostri
Vena, Serenatæ Pacis, amorque togæ.
Magnanimi Heroës, formidandiq́; Monarchæ,
Semideique viri, Semiuirique Dei.

* Olim dicta Bauaria.

Quos

Quos virtus supero decorat contermina mundo,
Quos blandè inuitos lambit, & ambit honos.
Dudum exspectatum, plorabundisque petitum
Questibus, exciti voce dedistis Io.
Coniuratorum quod vis inimica Gigantum,
Expulerat patrijs ad fera lustra plagis.
Transmisistis Io, quod suspirauit ademptum
Singultim madidis vir, mulierque genis.
Nil intentatum, nil præterijstis inausum,
Vnitamque rati plurima posse manum.
Vos ciues, cuncti Proceres, Procerumq; Magistri
Instauratores, patria tota canit.
Vos patriæ passim cœli post numina Patres
Fama recens loquitur, fama loquetur anus.
Quæ vobis, quæ digna viri pro talibus ausis
Persolui, meritò præmia posse rear?
Non Iouis auriflui (quamuis concederet) imbres,
Non fortunati Pygmalionis opes,
*Non exhausta * Erythræ pretioso gemma profundo,* * Mari rubro.
Non ebur, aut massæ pustula pura grauis,
Non auro prægnans vel capsa, vel arca corusco
Sufficeret; tanti est gratia missa preci:
Vestra cucurrerunt ad nos ceu nimbus, & imber
Munera, fluxit Io more cadentis aquæ.

Vnda emiratur Grani sine sanguine priscum
Splendorem, & venis stagna virere nouis.
Clamores alios aliјs clamoribus addit;
*O sublunaris * cymbala rara soli!*
O claratarum mitissima numina Aquarum,
Perturbatores docta domare meos.
Jlla ego dum varijs agitor turbata procellis,
Vestrâ operâ irati tunditur ira maris;
Densatis instant tumidæ latratibus vndæ
Per vos stagna minas irrequieta premunt.
In me conspirant Borealia flamina, per vos
Eurus in aduersos desinit ire Notos.
Tanta quibus dignè redimemus tempora sertis?
Non decet illustres querna corolla viros.
Non laurus vos sola decet, croceique corymbi,
Nec veris fragiles delitiæque breues.
Serta nouem manibus damus interplexa Sororum
Quæ vomuit scatebris Castalis vnda suis.
Non hæc Vergiliæ, calido non Syrius astro
Vret, inoffensos sunt habitura dies.

* nuncupantur ij quorum fama vbique gloriose resonat.

SERE-

SERENISS.^mo ATQVE REVERENDISS.^mo D.
D. FERDINANDO,
ARCHIEPISCOPO COLONIENSI, S. R. IMP. SEPTEM-VIRO ELECTORI, &c.

AQVENSIS { Ecclesiæ * Hyperaspistæ, Caussæ Commissario.

* Principi protectori.



Ittatos inter Proceres celeberrime Præsul,
Mitra cui sacras velat honora comas:
Purpureos inter Proceres amplissime Princeps,
Electoralem dat cui vitta togam.
Extrusi sacris quem nuper Ouilibus agni,
Senserunt ouibus mitibus esse Patrem;
Luxatum Imperij quem non ignobile membrum,
Tabe sua motum comperit esse Caput.
Se Tibi, penè lupis permissa voracibus esca,
Labe triennalis perdita penè luis,
Vrbs Regnatorum mundi antiquissima Sedes
Regia, spontè Tuos ante voluta pedes.
Se Tibi substernit, Tibi se debere fatetur,
Quod caulis liceat, quodq; salute frui.
Reddita tota sibi est vrbs, & Te Principe, *iam sunt*
Deliciæ populi, quæ prius horror erant.
Ecce pedo perculsa Tuo, & perterrita voce
Corripiunt celerem turpia monstra fugam;

Ecce manus experta tuas, patentia tabo
Vlcera, proructant cæca venena foras:
Eia age sic vigila Pastor, FERNANDE, *deinceps,*
Pastor vbi vigilat, tuta ibi dormit ouis;
Eia age sic cura, Princeps FERNANDE, *deinceps,*
Quando caput sanū est; cetera membra valent;
Hoc tantùm adijcias meritis ingentibus vnum,
Vt quæ Cura *fuit* Principis, *is sit Amor.*
*Sic populo * Oenides, verusq; ferere Machaon,*
Et quia pulsa fera est, & quia pulsa lues.

* Meleager Oenei filius.

SERENISS.^mo ALBERTO
AVSTRIAE ARCHIDVCI, BELGII
DYNASTAE;
Deditionis Exactori,
Perduellionis Vindici,
Libertatis Assertori.



AVgustum *titulis genus*, ALBERTE, *inclyte gente*
Sanguis ab AVSTRIACA, *quem* DIVA *ab origine ductum*
Æternas meritis scripque annalibus aui
Inuicti, ... serta armis virtute perennas,
Dum tibi subnixum curis æqualibus orbem

MAT-

Matthia *cum fratre regis, conſorſquè laborum*
Nutantem alterno ſubfulcis pondere mundum,
Quam tibi Aquiſgranum *Charitum omni ex agmine Diuam*
Æqua repenſuram in mundi ſublime Theatrum
Producet meriti memor, atque ingentis amoris?
Tu Diui *arbitrio fratris, Tu ſupplice magni*
Imperij voto, Tu ſpreti motus honoris
Ludibrio, immani peſſumdata iura furore
Erigis, & pulſam victricibus aſſeris armis
Vindicijsq́ fidem, Tu alta ceruice vagatam
Hæreſin, indocilemq́ ſuis parere Dynaſtis
Proſubigis, tumidumq́ doces ſubmittere collum,
Fraternum Imperium atq́ agnoſcere iuſſa coactam.
Non ſecus Auguſti terrarum illuſtria fratres
Lumina, qui geminum coniunctis viribus orbem,
Quo matutino Titan diluculat igne,
Et quo deuexo currum temone ſupinat,
Vnanimi rexêre manu, concordibus ambo
Sæpè coiuerunt in bella vicaria dextris.
*Nec vobis deſit * Stilico cui bella paranti*
Vltorem cedat vin lex Rhamnuſia currum.
Teſtis Aquiſgranum *quo cùm venêre tuorum*
Agmina, viderunt felicisq́ æmula belli

* Hono[illegible]

Sub signis vicere tuis, nutuque iubentis
Exarmen pepulere gregem, qui aliena secutus
Imperia, in Dominos cõmotam armauerat vrbem.
Sic decuit columen terrarum, ALBERTE, *priorum*
Immensam decorum seriem vna augescere laude.
Quam postliminio pietas in auita reducta
Mœnia, centenis cano praeconibus æuo
Efferet, & spolia illa tuis adfixa tropæis
Hostilas inter clypeos, & Belgica rostra
Inseret AVSTRIACIS *victura in secula fastis.*

* ternio.

GRATIARVM *TRIGA,

AD TRIGAM ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.rum PRINCIPVM ELECTORVM; MOGVNTINVM, COLONIENSEM, TREVIRENSEM, ARCHIEPISCOPOS S. R. I. Septem-Viros.

* Tres Gratiæ.

* Tres Electores.



*I Gratiarum * Triga Sororia,*
I necte palmas, consere brachia,
*Pnuncia * Triga Virorum,*
Quæ melici cecinère nerui.
Auete iuxtim Tergemini VIRI,
Ceruice quorum nititur Imperi
Moles labascens, & ruinam
Substinet in triplici columna:

Auete

Auete paßim Tergemini VIRI,
*Curtique paruo * momine temporis,*
Hinc publicas curas mouete,
Pindaricisque fauete chordis.
A VE *coronæ Teutonis arbiter*
Supreme, vertex inclyte Principum,
Stellansque vittatorum ocelle,
** Mogo, Patrum patriæq; sidus,*
Quà Rhenus vndis educat ebrijs
Stirpes Lyæi versibus insitas,
Quà mercibus fœtas carinas
Mænus aqua rapiente voluit.
Quà tangit alto sidera vertice,
Certans vetustis Mempheos horreis,
*Et * Ninidos pugnans labori*
** Acropolis, Triuiæq; fano.*
A VE *propago sanguine Boio*
Prognata, Regum stemmate nobilis,
Antistes vrbis, quam Coloni
Romuleæ posuère Matris.
Quam Rhenus vdo sobrius alueo
Lunat, retusis cornibus æmulam
Phœbes, chorum ducentis alto,
Et medio radiantis orbe,

* momento.

* Moguntine.

* Semiramidos Nini filiæ

* Arx Aschaffenburgensis.

Quam

Quam terna signant aurea stemmata,
*Gemmans sacrati Tænia * Principis,*
Et Curiæ splendor Togatæ,
*Et Sophiæ numerosa * Gymnas.*
A VE *coronis summa Triumuirûm,*
Mitrate T REVIR,*cui famulas aquas,*
Vrbesque conspersat fluore
Pampineus subicit Mosella.
Cui Treuirorum cana dat infulam
*Vrbs,quæ * Dicastis culta Quiritibus*
Olim,sacrato ter quaterque
Pignore iam decorata claret
Togæ virilis,quæ pueri Dei
Velauit artus stamine textili,
Æuoque succrescens virili
Barbigeros benè texit annos.
Vos consalutat Regia C AROLI
Sedes,auiti nomina Principis
Induta Grani;vos Sequestres
Vnanimo sonat ore Pacis,
Pæana vobis insonat,insonat
Plausu recepto,quo canit Hæresin
Audace grassantem tumultu,
Et spolio Dominæ curulis,

* Infula Episcopalis. Splendor Senatus
* Academia.

* Iudicibus.

Vrbisq;

Vrbiſqúe raptis faſcibus ebriam
*Jn Curialis templa * Senaculi* * Curiæ.
Sauiſſe, pracanoſque Patres
Armiſonâ pepuliſſe turbâ.
Hinc inſolenti Iuſtitiam pede
Calcaſſe, & alti fulmina CÆSARIS
Riſiſſe, Cyclopum furore
Propoſiti malè pertinacem.
Quin & triſauci Chriſtigenam fidem
*Scidiſſe rictu, * Stigmatiæ Canis,* * Caluini.
*Et * Clauſtrirupæ, * Memnonisq́;* * Lutheri. * Anabaptiſtarum Patriarchæ
Flumineos iterantis ortus.
Sed pœna claudis perculit hæreſin
Suſpenſa plantis, conſiliantibus
Triumuiris, quos mitra clarat,
** Imperiumq́; mouens * cadiſcus.* * Ius ſuffragij in electione Cæſaris. * vrna ſuffragiorũ.
Exuta per Vos ſqualet honoribus,
Lugetq́; vultus indecor Hæreſis,
Os aureumq́; exoſa Phœbi
Lucifugis latet in tenebris.
Aſtræa per Vos exilio redux,
** Diceq́; * congrex Iuſtitiæ comes* * Iudicij præſes Dea. * iuncta.
Squalore deterſo, ſituq́;,
Ad CAROLI *redière ſedem.*

Annosa per Vos Romulidum fides
Fusam duello proterit Haeresin
Et laureo fulgens honore
Paciferam graditur per Urbem,
Verritque pallâ non duplici sola
Substructa tectis Marmarinis Hera
Caelestis, & mirum sacellum,
Et CAROLI *positoris urnam,*
*Et * Compitalis limina Caelitis*
Diui FOILLANI, *& genitalibus*
Deuoti aquis IOANNIS, *atque*
CLAVIGERI, *& dubij* IACOBI.
Per vos Aquensi lux populo redit,
Simul recepit patria lumina,
Et Consules, Lectosque Patres,
Intrepidos fideique Ciues.
Vrbisque habenas, templaque, Curia,
Tribusque plebis, Rostraque ciuica,
Vrbisque claues ianitrices
Imperij monumenta summi.
Stupore si quem tanta TRIVM-VIRVM
Virtus in auum nobilis attonet,
Succurrat huic telo trisulco
Omnia vis triplicis domari.

* Sancti Parochiae curialis.

Squa-

Squamas trilices lancea non fodit,
*Peltam tripellem * Thermodoontica*
Non perforant ictu Secures,
Non Macedûm violenta pila.
Nodi triformis textile vinculum
Nexu Promethei Caucaseo magis
Pugnabit haud rumpi, vel ipsis
*Herculei manibus * Milonis.*
Claua trinodis robora quem latent?
Hac hac tricorpor Geryones cadit,
Cui sex manus, tricepsq; collum,
Tres animas dederatq; mater,
Ter funerandas sanguineâ nece:
*Hac * phoca vindex tunditur ilij*
Hac centiceps Lernæ colubra,
Frangitur hac Nemeesq; prædo,
Hac (fabulosis vatibus, vt placet)
Perrupit Orci ferrea limina,
Perrupit Alcides Olympum
*Connubio potiturus * Hebes.*
Vos orbis estis Teutonici Hercules,
Vos mente iuncti Tergeminâ velut
Ramo trinodi perdomatis,
Quod validas inimicat vrbes.

* Amazonum Thermodoontis fluminis accolarū.

* Crotoniatæ, cuius e pugno cõpressum nemo pomum eximere potuit.

* Cætus, cui obiecta Hesione filia Laomedontis.

* Iuuẽtus seu Dea iuuentutis.

Vos Urbs Aquarum nostraq́ʒ TRESVIROS
Famâ perenni clarigat Hercules,
Quam senticoso intacta seclo,
Et iuuenans comitatur Hebe.

IN ILLVSTRISS.^mum^ MARCHIONEM, INVICTVM HEROEM

AMBROSIVM SPINOLAM,

SVPREMVM BELGICI EXERCITVS PRO Rege, & Archiducibus Legatum.



Rudarum domitor, Marchio, gentium,
*Quem * Diua armipotens ægide, belliger*
Donatum clypeo Marspiter aureo
Dudum obstrinxit amica
Heroëm egregium manu.

* Pallas armata.

Armatusne redis? ecce rebellium
Confisa auxilio militum inutilis
Dirum inuisa caput protulit Hæresis,
Atque impunè cruento
Jam victrix volitat foro.
Affusamne tuis vis pedibus Fidem,
Tendentemq́ʒ suas Iustitiam manus,
Tot cassas sinere effundere lacrumas
Et turpare coacto
Humentes gemitu comas?

Auertant superi, S PINOLA, non sines,
Te viuo Dominam præcipere Hæresin,
Excussoq; iugo feruere Ciuicum
Cæco Marte furorem
Magnarum in capite vrbium.
Euax? iam video, dat violentia;
Dat pœnam improbitas: iam video suis
Efflorere fidem rursus honoribus,
Ius & fas violatum
Pactam inscendere Curiam.
T V *postquam domitis* Cæsaris *hostibus*
Ornatam titulis nactus adoream,
Aucto fl.rueris nomine, laurea
Insignitus ouali
Conscendes superas domos.

IN EIVSDEM AMBROSII NOMEN, QVOD LATINIS IMMORTALEM SONAT.



E vegrandis amor Politiæ tāgit Aquēsis:
*Nec vocat * Hydrophilum te nominis* * Aquā amantem.
fictrix nomi;
A grauidis mala dira procul ceruicibus
*Seruata * Alexicacū nec vrbs te nominat; (arces:* * Depulsorem mali.
Disturbas turbas, vulgusq́ue rebelle triumphas;
*Non * Nicolaum, non vocat Vincentium;* * Victorē populi

Antiquæ vindex es libertatis, & auctor:
Non est * *Eleuther Ibeans te nomine;*
Vrbem intrans vernum diffundis SPINOLA *odorem;*
* *Chrysanthus,* * *Aretiusve nulli diceris;*
Heroum caput es, procerumq́, ducumq́, virorumq;:
At nullus * *Archandrum vocat te ciuium;*
Herculeas superas Dux robustissime vires:
Acclamat * *Alcidæque nemo nomine;*
Dux bonus es, milesque bonus, pugnator acerbus:
Negant * *Aristomachi vocabulum tibi;*
Nullo Marte vales: nullis superarier armis:
Nec vox * *Arionem citat te publica.*
Diceris * AMBROSIVS, *nunquam moriturus, vbiq;*
Victurus, Immortalis vsque diceris: (cabit:
Vrbs vocat AMBROSIVM, AMBROSIVM *semperq; vo*
Includis vni nomini tot nomina.

* Liberatoris.
* Flos aureus.
* Virtute præditus.
* Virorum Principé.
* Viribus præstãtis.
* Optimi pugnatoris.
* Marte præstantiorem.
* Immortalis.

EIDEM ILLVSTRISS.mo MARCHIONI AMBROSIO SPINOLAE PERduellium Domitori.



Hrax luctuosis cuncta furoribus
Orpheus ocello feruere contuens
Sereniori, dat seu ultis
Emeritam fidibus quietem.

Ille ille soles eliquat otijs
Quotidianis irremeabiles,
Fastidiosis sauciatus
Tristitiæ furijs iniquæ
Se decolorant Oceanitides*
Planctu, reuulsis exululant comis,
Afflent fluenta, monsque, fonsque
Bistonio viduata plectro:
Verùm Senectis missus ab Inachi*
OEtæus Argis pacifero pede
Inhospitales mensus oras
Indigenis tetulit salutem.
Interminanda pulsus adoreâ,
Periculosæ plenum opus aleæ
Aggressus, & virtute fultus
Threicium necuit tyrannum.
Dum semiuiuis efferus hospitum
Hospes caballos pasceret artubus,
Crudelitatis cessit auctor
Præda suis opulenta mannis:*
Sic lapsus auceps irresolubile
In rete, pilis pila minantia
In se reuerterunt. parentem
Offuciæ petiêre primum.

* Nymphę marinæ.

* Regis Achiuorū.

* equulis

Jnordinatum plectra ſilentium
Orphæa rumpunt, barbitos inſonat,
Nerui ſoporati citantur
Edomito Diomedis œſtro.
Ceruus leonem, damula tigridem,
Lepus Moloſſos, agna lupum, virens
Pinuſque cum lauru cupreſſus
De gelido comitantur Hæmo;
Vates labores Herculis arduos,
Subiecta duris monſtra valentijs,
Et [illegible]ſperatæ l[illegible] iras,
Et ſi [illegible] memorat nouercæ.
Si diſpilati plectra reuixerint
Senis, tyranni poſt Getici diem
Emortualem, regicidæ
Sintque pios modulata niſus:
Limataq́ plenis carmina carmina
Promenda buccis, atria peſſulis
Firmata nullis explicentur
Theſpiadum penetrat pateſcat,
Sublimiores AMBROSIVS *meret*
Heros ce[illegible] nobilioribus
Clarandus [illegible]narcha plectris
In[illegible] furoris.

Nuper

Nuper gemendas hæresis impia
Interminari Catholico gregi
Grauesq; AQVISGRANO ruinas
Ausa suis animosa technis.
Plebs impiato tacta tumultuat
Thyrso, proteruos igniculat faces,
Confundit antiquas habenas
Turba rudis violenta vulgi;
Fastidiuntur iura repagula
Soluuntur æqui, bestia pluriceps,
Terræq; proles immerentem
In sobolem petulans tumescit;
Fons Hippocrene gloria fontium
Turbatur Hippi Bellerophontij,
Aquæq; Granenses proculsæ
Dißidio varioquè motu:
Donec statutis imperialibus
Jußisq; diuis diues, ab inclyto
Heros Monarchâ turbulentam
Missus ad hanc ruit ales vrbem.
Desquamat hostem, dedocet impijs
Tranquilla rerum frangere motibus,
Parere cogit perduelles,
Insolitosquè pati lupatos:

Jlle ille Phœbi plectra resuscitat,
Et vendicatis priuat honoribus
Adulterinos optimates,
Et Catilinarias cohortes.
Hunc festa paßim gratificantium
Tollunt Sororum nablia ter trium,
Nouem loquuntur verberatæ,
Cum fidibus citharæ canoris.
Jnusitatis hunc titulant metris,
Huic gestienti pectore ciuitas
Acclamat; Irenarcha viue,
Viue diu Generose viue.

IN EVNDEM.

NVper odorifero prostratis fortè Roseto,
Vrbs Grani calidas quà iaculatur aquas.
Sic inter reliquos, inquit, mihi bellus amicos,
Et nostro accumbens, contiguusque loco:
Unus homo nobis minitando restituit Rem,
Et dedit has inter SPINA *cubare rosas.*

IN EIVSDEM EXPEDITIONEM.

HÆresis imani turgebat didita typho,
Vt distenta auris bucca tumere solet.

Ut vesica inflata, ut rana imitata Iuuencum,
Nil possum breuius dicere, follis erat.
Exprimere inclusum poterat iam nemo tumorem,
Et vel acinacibus fama putabat opus.
Et crepuit tamen, & displosa euanuit aura,
Argumenta sui nulla tumoris habens.
Cuspide non fuit hic vsus, non viribus vllis,
Sed postquam vna icit Spinula rupta fuit.

DE EADEM.

VTris adinstar erat furor intumefactus AQVEN-
Vt primùm infixa est Spinula, detumuit. (SIS.

REVERENDISS.mo AC ILLV-
STRISSIMO VIRO AC D.
D. MELCHIORI KLESELIO
VIENNENSI EPISCOPO, SAC. CAES. MAIEST.
Secreti Concilij Directori.



INter depressas vrbs antiquißima valles
Est sita, quæ calidas eiaculatur aquas,
Cui lymphæ, Granus cui nomina fecit
Apollo,
Quam nunquam liquido deficit vnda pede,
Vnda solo, ac cœlo sospes sociata salubri,
Pacto ægris medicam fœdere præstat opem.

Vnde igitur ferale malum? contagia crescunt
Exitio penitis insinuata fibris.
Sic, omnem vt vitiet tabes acherusia venam,
Vt proprium infestent membra proterua caput.
Sensim immaturi crudescunt semina lethi,
Nulla ferunt fessis pharmaca rebus opem,
* Morborum omnium remedij.
*Nec locus est herbæ, nec odorifera * panaceæ,*
Pæonis ars nihil est, ars tua Phœbe nihil.
Vrbs conclamat opem, & mundi suprema lacessit
Sidera, vitales iam positura dies;
Sudatum à varijs: sed quæ truncare malorum
Eualuit syluam dextera rara fuit;
MATTHIAS *cui summũ apicem, cui summus habenas*
Rex regum sacri credidit imperij,
Solus erat qui ferre manum, qui demere morbos,
Qui poterat præsens arte leuare malum:
Ille animi suspensa gerens oracula, sceptri
Atlantem, & magni consulit ora Viri,
CLESELI *Augustus Cæsar tua consulit ora,*
Teque Machaonias auspice spondet opes.
Sic trissæ clisenis nubes effusa Micenis
Consilio, Iliaces depopulatur agros:
* AEneæ omiti.
*Sic * Nautis monitus hausit dum Troius heros,*
Fatorum optatam repperit ordo viam.

Mor

Morbus in effœto dum sæuit corpore, curam
Admouet artificâ doctus Apollo manu;
Tempore, ais, medicina valet, moderataq; prosunt,
Quæ data confertim sunt nocitura magis.
Cum pretio * *tardâ fit nexum echeneide telum,* (* Symbolum maturæ moræ)
Nec præceps nimium, nec mora longa nimis.
Tandem fila feræ neuerunt vltima Parcæ,
Soluit & exhaustam de tribus vna colum,
FATA VIAM INVENIVNT, *reuocant præcordia vires,*
Vrbsq; suo medicam tempore sentit opem;
Quæ non Thessalicis est procurata venenis,
Quæ tulit aut * *Bebes ripa, vel Apidani,* (* Loca è quib' Medea herbas collegit.)
Othrysve, aut Pindus, vel Pindo maior Olympus,
Graminaq; in Marsis cocta recocta cadis,
Queis * *socero priscos Medea reduxit ephebos,* (* AEsoni.)
Inque adolescentem fecit abire senem:
Sed suasu, Vir Magne, tuo vix aura superstes
Redditur, & pulsâ peste reducta salus.
O * *casci soboles Consi! Tritonia Pallas* (* Senū cōsiliorum Dei.)
Quem docet, ô Suadæ pura medulla Deæ!
Alta Pharos, nitidos cui velat mitra capillos,
Qui Pylij in cano pectore pectus habes;
Ante seges medio surget matura profundo,
Ante vehet saluas Syrtis amica rates,

Quam Lethæa tuas discerpant pocula laudes,
Quam detur meritis gratia digna tuis;
Ante quidem notus, iam toti es notior orbi
Justa fouens, cautè fœdera iniqua premens.
Hoc superest, vt relliquiæ, stirpsq́ intima prorsus
Consilio pereat cœpta perire tuo,
*Adijciasque noua seruantia * præbia cura,*
Tertia ne in tetram sit recidiua luem:
Pro meritis superûm rector cæli annuet arcem,
Quam virtus pretio pandet honora suo.

* Amuleta.

AD GENEROSVM, STRENVVM,
IVRECONSVLTISSimum VIRVM,
D. IOANNEM LVDOVICVM
AB VLM,
DOMINVM IN VVANGEN, MARBAICH,
MITTELBIBERAICH, ET SVPERIORIS SVLMENSTINgen, possessorem oppignerati Domini Hohenfriber,
Cæs. Maiest. V. Cancellarium.



*PEr * polyantheos Nympharum exami-*
na campos
*Fusa, puellari raptura * halluce vietas*
Chloridos illecebras, & multicoloria ve-
Germina; dum passim se constellata tuentur; (ris
Imbutam varijs cursim splendoribus herbam

* Multorū florum.
* Pollice.

Præ-

Prætereunt, sunt sola illis violaria curæ,
Et ferruginei flores, vnæq; figuræ:
Sic actus VLMERE *tuos dum lumine bino*
Perlego, tantarum pandunt sese æquora rerum,
Vt tua consilia, inq; arctis solamina rebus
Quæ data Granensi plebi, plebisqúe magistris,
Didita, perpetuis valeant te tradere fastis.
Monstrificos iterum pridem furialis * *Echidna,*
OEdipodioniæ genitrixq; tripectora Sphingos
Ediderat partus, iterum Lernæa colubra
Prodigiale pecus; tristesque profuderat ortus,
Hæresin Orthologi: at veteres dixère Chimæram;
Cui pietas, cui prisca fides, cui Paxq;, Themisqúe
Plusquam Ætna * *Encelado, plusquam* * *Maurusio Olympus*
Est grauis, æternumqúe animas deglubere votum.
Illa suo insatiata solo, Lyciæq; cauernis
Grannopolitanam furiosa perambulat vrbem,
Ætnæumq; feris Vulcanum è faucibus efflat;
Perplexas elata iubas, imitata Leonem
Insopita fremit, capreæ de more petulcæ,
Fœta libidinibus lasciuit, & omnia limat,
Mascula bilis inest fontes aßibilat aurâ
Lethali ingenuos, spiratq; aconita draconis,

* Hydra Lernæa mater Sphingos, & Chimæræ Monstrorum.

* Giganti Ætnæ monti supposito.

* Atlanti.

Mor-

Morte rubent oculi, linguisq; horrenda trisulcis
Ora sonant, morsuque acuens grauiore molares
In noua sanguineum vult vertere vulnera rictum.
Indigenum pars magna malis perculsa, sepultos
Suspirant gemitus, sensu dolor hæret in imo
Abditus, vna salus visa est sperare salutem
Exiguam; non Bellerophon, non inclyta Glauci
Exsurgit soboles suffocatura palatum
Monstri horrēdi, hirti partusq; triformis Echidnæ:
*At tibi cor semperq; animus fuit * heptabœus,*
Tu profugis optata quies, tu turris asylum,
Anchora robur eras, tu ceu consultus Apollo
Spondebas meliora manu fractosq; ue ruinis
Erigis, instauras, firmas, tua dextera nunquam
Segnis ad auxilium, grauiorum pondus, & agmen
Inflexâ ceruice doces tolerare malorum.
Bellerophon ceu Pegaseis adiutus habenis
Fortis eques formam potuit superare triformem:
Sic mentis sanæ pennis super æthera vectos,
Maturiq; alis animi fraudesque, dolosque
*Vincere, flammiuomum, * subsessoremq; chelydrum*
Debellare doces. Successu atque alite dextro
Edomitum ciuile nefas, contusus Echidnæ
Pullus, & excussos didicit mordere lupatos.

* Fortis ab impone trabo Aiacis clypeo ductũ prouerbiũ

* Ex indiis ingentem.

Vade

Vade CHARIS, *vade* * *Eurynomæ ſuauiſsima proles,* * matris Charitum
Talares paullùm expandens iactantior alas,
Fer Vegerranis properatum carmen ab vndis
Heroi, herois qui geſsit digna cothurnis,
Digna cedro, quem nobilitas germana maritat,
Qui veteris collecta tenet veſtigia recti,
Quem virtus ſublime tulit, tribuitq́; priores
Cancellos, ſacri Imperij atque edicere iura.
Hunc cura vt rumor per inhoſpita gemmeus orbis
Teſqua procul poſitas vehat oras, & freta cœli;
Vt viuo detur, viuis quæ fama negata eſt.



AD SERENISSIMORVM PRINCIPVM
FERDINANDI
ELECTORIS,
ALBERTI
ARCHIDVCIS, AD POSTREMAM CAVSSAE EXECVTIONEM COMMISSARIOS SVBdelegatos;

IN NOBILES, ATQVE AMPLISSIMOS VIROS AC DOMINOS: REVERENDISSIMVM DOMInum D. ARNOLDVM à BVCHOLTZ Hildesiensem Præpositum,&c. D. BALTHASARVM de ROBEAN Equitem auratum, Serenissimorum Archiducum Consiliarium,& rationum Belgicarum Thesaurarium, Quæstorem Generalem; D. THEODORVM BISTERVELDT Ditionis Coloniensis Cancellarium; ac D. VOLCKHARDVM ab ACHELEN, eorundem Archiducum priuati Consilij Senatorem.



Alatiorum lumina, principum
Mundi potentum deliciæ, inclytâ
Togâ, stolaq; Curiarum
Circula consilium rogantùm,
Qua laude vestrum nomen, & ardui
Excelsitatem pectoris efferam,
Qui machinatos innocenti
Iustitiæ excidium rebelles,
Ne cogitatum perficerent scelus,
Compescuistis? qui furialibus
Lymphata sectarum venenis
Pectora, & hæreseon furore

Inebriatam plebem, Acherontico
Succo expiatam sobria pristinæ
Haurire doctrinæ impulistis
Pocula, saluificumq́; succum?
Vos æstuantem seditionibus
Intrastis vrbem; Vos nisi Cæsari
Permitterent se perduelles
Hæreticiq́; faces tumultus,
Circumsonanti mœnia milite
Conterruistis. Non ego vos meis
Chartis inornatos silebo
Perpetuum meritos honorem.
Quale explicato tunc cecinit tuus
ARNOLDE *Cygnus remigio melos,*
Cùm principem alitum videret
In labaro rutilare panso?
Periculosâ exercite sæpius
In bellicosis finibus aleâ
Fecundus æqui, atque approbati
Consilij ROBEAN *Patronus.*
O! quàm ambiebas vindicijs modum
Quam restitutæ pacis, & aureæ
Concordiæ successu, abactis
Vrbe procul Furijs ouabas?

Quid FERDINANDI *nomine Principis*
Legationem functus, in arduis
Suadere BISTERVELDT *peritus*
Rebus, & auxilio iuuare
Quid ille mœstis præsidium reis
Secretioris Conuena Consili
Ab ACHELEN, *Iuri æquitatem*
Anteferens faciundum omisit?
Atq; ô! (quod opto) vel Tibi, vel Tuis
Jam liberatum pro meritis pares
Grates AQVISGRANVM *rependat,*
Teque sacris miniet tabellis:
Quaternioni dum voueo meo
Cultu virentem perpete gloriam,
A me illa votam ex arce defert
Pro meritis superâ coronam.

IN NOBILES AC STRENVOS VIROS AC DOMINOS,

D. PHILIPPVM ROIST zu Werß/

ELECTORALIS AVLAE COLONIENSIS SVPREmum Præfectum, & Tolbiacenſem Officiatum, &c. ac

D. REINERVM BEYSSELL zu Gymnich/

D. IN SCHMIDHEIM, NVRBERGENSEM, ET ARENBERGENSEM OFFICIATVM, &c. SVB INITIVM Seditionis concitatæ, ſuperſtite adhuc RVDOLPHO IMPERATORE, à Sereniſsimo Electore Colon. Erneſto Commiſſarios.




Obile par ſalue, parili quaſi ſidere natũ;
O laudes pariles ſi pariare queam?
Vos cano conſimiles, REINERE, PHILIPPE *patritis*
Moribus & priſca relligione viros.
Conſimiles magè, quàm quos vno Caſtoras ouo
Fudit olorino compta Lacæna toro.
Illos fortis equus, nudæ flictusq; palæſtræ,
Vitaquè diſtreuit, perpetuusq; ſopor.
Eſt vobis compar pietas, prudentia compar,
Compar vos gemino ſtrenua honore beat.
Cùm lupa per mandram nuper ſæuiret Aquenſem
Hæreſis, innocuos deſtrueretq; greges.
Iamque imbelle pecus rauo depaſceret ore,
Adſita balatu contremuère ſola.

Pastor Agrippinas pernox & perdius, aulæ
Suspensa gemulos adbibit aure sonos.
Ilicet, vt sueuit stellato cautiùs Argo
Peruigilare, feram cingit vbiq; plagis.
Vos igitur socios operis, iustiq; tenaces,
Auxiliatricem porgere mittit opem.
Nec mora fit: ruitis citius rapiente veredo;
Grani *ad Iaonias ambo volatis* Aquas,
Consilij capitur prætenta indagine vestri
Hæresis, & pedicis illaqueata iacet.
Ergo nostra fero subducta mapalia denti,
Plausu gratifico Vos super astra ferant.
Vos reducis quia pars pacis, quoque gratia nostri
Vos vocat in partem carminis, & Chariton.

IN GENEROSVM AC STRENVVM VIRVM
D. ANTONIVM
DE GRENETT,

DOMINVM IN VVERP, PRO REGE HISPANIARVM ET ARCHIDVCIBVS BELGII TRAIECTI AD Mosam Gubernatorem; & ab eisdem ad compenendas Aquensium turbas Legatum.



Ransijce nauigerum Mosæ, mea Musa, * *Cataplum*
ANTONIQVE *leui carmine pange decus.*

* T[illegible]

Quàm

Quàm vereor, tenui vt detractes nomina versu,
Nomina Mæonijs concelebranda modis.
Attamen audeto: laudum tu littora carpe;
Vastum alij tumidis lintribus æquor arent.
Antoni, Præstes notæ Vrbis quam lauit vdo
Mosa sinu, ratibus veliferisq́ue beat.
Nuto, simulq́ nato mentis iactatus ab æstu,
Dum fugit, & qua Te, nescio laude sonem.
Hinc vocat ad fortes Mauortia parma labores,
Et Martem ostentat plurima palma Tuum.
Hinc pax alma vocat, rerum & pacalis habena,
Qua placida populos tectaq́ue, pace regis
Hinc vocat alba Fides, mensq́ omnis nescia fuci,
Qua colis irrupta pignus amicitiæ.
Hinc amor, hinc pietas, vigilax hinc cura tuorum,
Vnde decus patriæ, præsidiumq́ue clues.
Hinc propior rediuiua Salus rapit Vrbis Aquensis,
Quæ sæuo iacuit saucia fracta salo.
Cùm coniuratis turbata carina procellis,
Iam procul infidum littus abacta cauet.
Namq́ ignara doli portu captare quietem
Credidit: hei! portus sæua charybdis erat.
Spe frustrata gemit, tutoq́ exclusa receptu
Fluctuat in medio marmore quassa ratis.

Ancora Tu nostra & statio tunc fida carinæ:
Perplexum superat Te moderante malum.
Tum spectare fuit, quid cana probataq; virtus
Rebus in aduersis porgere possit opis.
Sic virtute Tua Tibi culta senecta virescit;
Lausque nouis meritis auctior astra petit.

IN NOBILEM
D. VOLCKARDVM
AB ACHELEN,
AB EISDEM ARCHIDVCIBVS AD IDEM NEGOTIVM COMMISSARIVM.



E referant VOLCKARDE, *alij, didantq; per*
Lunatū, clara progenitumq; domo. (ora
Te Themis ipsa suum proclamet lactea
Mysten.
Nestora Teque suum Curia suada vocet.
Nos velut optatæ Pacis, raptique sequestrem
Imperij in caldis Te veneramur Aquis.
Tu simul vt turbauit aquas Erebea colubra
Hæresis, acceleras huc ter anhelus iter;
Consilio attentasque cato componere fluctus,
Irati vt Consus marmoris arua domat.
Vt virgæ attactu plantari Nuncius ala
Mutua per nexos basia iungit hydros.

Sic

Sic Magni orator Tu Principis, ore ſereno
Diuidias vulgi conciliare ſtudes.
Gratia ſtat facto, quam nulla aboleuerit ætas,
Qam non delendo carmine Muſa notet:

AD ILLVSTREM, ET GENEROSVM DOMINVM,
D. CHRISTOPHORVM
COMITEM EMBDANVM, ORIENTALIS FRISIAE; &c. SERENISSIMI ARCHIDVCIS ALBERTI EQVITVM Prætorianorum Centurionem, ac Legionis Germanorum peditum, atque exinde præſidij Aquiſgranenſis Supremum Tribunum.

NEc præteruolitans te turba nouenſilis ori
Tradet Amyclæo generoſi poſtera proles
Seminij, Comes è Friſiâ prælustris Eoâ
Progenite, heroo ex patraſti carmine dig-
Digna cothurnati venâ grauiore Maronis. (na,
Vt triplices olim, primaq; ab origine claros
(Si qua fides fictis) iactabat Iberia fratres,
Quos vis Herculea, & virtus in pectore prægnans,
Indueratqúe animus ſeptemplice firmior ære:
Sic ſeſe fratrum Triade euehit altus Amiſſa,
Tergemini queis forma tripectora Geryonaë,
Tres Herili cedunt animæ, Feronia mater
Quas dederat, Deciјqúe pij, forteſqúe Metelli.

Iura suis Senior patriæ successor habenæ
Dat populis, cuius solùm virtutibus obstat
Infelix, ac fœta malis vicinia technis.
At medius Diomedeis præstantior ausis
RIDBERGAM *tenet, imperijs maioribus heros*
Dignus, & excelsam rerum extollatur in arcem;
Disturbaturum quem traxit ab vbere matris
Bellatorum equitum nubes, peditumq; catervas:
Quos verò, quàm diuersos persenserit hostes,
Sarmata, Pannonius, flauo cum vertice Gallus,
Belga ferox, & Saxonicæ vetus incola terræ
Attestabuntur, nec declinasse Tribunum
Palmam vnquā poterunt non se indignante fateri.
At tua non fratrum titulis innixa recumbit
Gloria, tu primâ vix florescente iuuentâ
Clara leonini subijsti mœnia Belgi,
Et gressu fidei calles rimatus auitæ
Felici, delubra tuo sub pectore virtus
Fixit, & amotis procul hinc clarauit in oris.
Quid decertatos belli enarrabo labores?
Quid patrocinium iuris? quid facta reuoluam
Inclyta? post æris si recti, aut cornua flexi
Gens armis tentanda tuis, licèt illa Cyclopum
Arte, è Sicanijs non sint educta caminis;

Te belli fortuna ambit, te læta maritat
Laurea, successusq; nouis successibus auget.
Urgendæ patriæ suspenso si duce curæ;
Te fruitur Consus, si priua negotia poscunt:
Centeno Vigilas oculo, accuratius Argi
Lumine prospiciens, cana & prudentia, ne quid
Inconsultus agas cunctis sese ingerit actis.
His fartim Generosè COMES *virtutibus annos*
Formasti teneros, hinc te vestigat, & vltrò
Cingit honos, hinc vrbis apex, Belgĳq; Monarcha
Iudicio, sensuq; valens, tibi grandia quæuis
Confidit. nam turma tuis prætoria iussis
Nobilitate equitum paret, belloqúe potentûm,
Hinc te Germanas voluit ductare phalanges,
Felicesq; mouere aquilas, hinc æmula aquarum
Urbs Baianarum, diuos diademate primo
Induperatores CAROLO *fundante coronans*
Præsidio commissa tuo, tantisq; sub alis
Coniuratæ audet pubis ridere furores,
Hæreseosqúe minas, nobis quæ pessima nobis
Sperauit famulas imponere posse catenas,
Iamq; inuita tuis didicit parere lupatis.
Macte igitur Generose COMES, *tibi militat æther,*
Inq; tuum Diui conspirauère fauorem,

Vtere, ſedatis ſit pacis longa ſenecta
Motibus, & ſummi laus incrementa Tonantis
Inueniat maiora, Fides ſine fine triumphet
Auſpicijs Romana tuis; tua gloria creſcet,
Pyramidum famam, quadro ſublimia cono
Culmina, & Euboici tranſcendet pulueris annos.

PROSOPOPOEIA

AD PIOS MANES REVERENDI ADMODVM, AC NOBILIS D. D. IOANNIS à THVMBERGH,

dicti Wormbs/

REGALIS AQVISGRANENSIS D. VIRGINIS Eccleſiæ Decani demortui

CLERI AC POPVLI AQVENSIS.

Iam tandē quaſſæ pelagi cecidère procellæ,
Disiectæq; tenent litora tuta ratem,
Fortunæ Diui Maieſtas Cæſaris iras
Cispulit, inſanis diū medicatur Aquis;
Iam Metamorphoſin dederūt pia numina priſcam,
Septa platearum Paxq;, Themiſq́ue ſecant.
Plebs ſtupet, exultant proceres, vox omnibus vna;
Ecquod ab hoc fauſto ſidere ſidus abeſt?
Ipſe pater patriæ, Cleri Cynoſura verendi,
Nunquam lapſuræ relligionis Atlas:

Per picturatum mox unicoloria mundum
Vota volant, raptum questa Decane tuum,
Te reducem patriæ, spectatoremq́; triumphi,
Et festi socium te petiêre noui,
Augeres ruptis efferuescentia fibris
Gaudia, per Pylios extenuanda dies.
Plausibus adijceres plausus, fremitusq́ue iuberes
Lætitiæ æternos esse, & inocciduos;
Pars vrbi affusæ lucis nam diceris absens,
Quicquid agit, satagit, te sine non sat agit.

RESPONSIO.

TAntus amor nostri, desideriumq́; tuendi?
Corda mei tantis icta cupidinibus?
Vota per ætherios mittantur vt irrita campos?
Auditum vestris fata negant precibus:
Nuper in abrupto mihi vos concordia vinclo
Iunxerat ara, focus, lar, cibus vnus erat:
Quæ quamuis sit scissa poli dum tecta subirem,
Acciperetq́; meas vrnula relliquias:
Tantus adhuc equidem me me ferruminat ardor,
Vt vestræ nequeam dememinisse domus,
Vestra fouent superi, lassis & Olympia spondent
Auxiliatricem numina rebus opem.

Non mea me reducem sistet præsentia terris,
Me sine lætitiæ soluite frena nouæ.
Induperatricis cœline, soliq́ue fauorem
Poscitis? an Magni vultis opem Caroli?
Vt vos, vt patriæ conseruent limina vultis?
Sana, & cana Fides ne labefacta ruat?
Aut si læsa paret Pax his secedere ab oris
Figat Aquisgrano non abitura pedem?
Ista Deum, Mariâ & Carolo, præeunte precabor,
Fota tot auxilijs; fidite; vota iuuant.

IN CLAR.mum VIRVM
D. IOACHIMVM BERCHEMIVM,
I. D. CIVITATIS AQVENSIS COS.
ET SCABINVM.

Regia pacifico viguit te Consule BERCHEM,
Dudũ cõsilio tuta Vegerra tuo. (vndas
Nuper at Hæreticus cũ mouit Apractias
(Nam tenuis liquidas concitat Auster
Non minus illa tuos est ꝑ se experta labores, (aquas)
Firmauitque tuam perfida turba fidem.
Nam citiùs tumidos posuerunt æquora fluctus,
Publica cùm redijt, te redeunte, quies.
Et pace & bello, BERCHEMI, *consulis vrbi,*
Seu parata silet, seu furit vnda, regis.

IN

IN EVNDEM, ET CLARISSIMVM VIRVM

BADONEM KVCKHOVIVM,

LL. SACRARVM L. SYNDICVM, SIBI, SVIS, CIVITATI, HONORI RESTITVTOS.



Valis in irato quæ fluctuat æquore puppis
Quam mare, quam venti, quam fera iactat hiems.
Vndisonos inter nimbos, cœliq; ruinas
Fertur, & insano rumpitur icta mari.
Ipse Gubernator clauo viduatus, & exspes,
Enatat, vt tanto seruet ab imbre caput.
Mite salutifero nisi cœlo adfulgeat astrum,
Quod sedet tumidi flustra proterua sali.
Illud vbi rimis fragili, & compage soluta,
Allucet trepidæ spes datur vna rati.
Fluctibus expulsus pelago, iactatus & vndis
Nauita, deserta puppis ad arma redit.
Illum alij socij plaudente celeusmate gaudent,
Spumea cærulei findere terga Dei:
Talis ab aduersis Respublica nostra procellis,
Hæresis insanis cum quateretur aquis.
Cum furor indomitis irarum concitus vndis,
Commistas piceo sparegeret igne faces,

Tu

Tu Consul, nimia vi tempestatis abactus
Tradebas dubijs vela ferenda Notis.
Heu mihi? qui montes tunc voluebantur aquarum!
Quantus erat miseris per freta cæca timor?
Orba gubernaclô atque antennis saucia fractis,
Funditus indomitis hausta fuisset aquis.
Ni Deus afflictæ adluxisset sidera puppi,
Et ducis amissam restituisset opem,
Tu IOACHIME *graues in tempestatibus iras*
Passus es: & moti murmura rauca maris,
Et tamen, infractusque animo, satagensq́; carinæ,
O huius iusti fluctibus huius aquæ.
Excussus cursu tandem atq; abreptus in æquor,
Mens tibi certa fuit cedere nolle minis.
Non vetuêre viæ, non interiecta locorum
Te spatia à cœptis sunt remorata tuis.
Non fortunarum dispendia mille tuarum,
Non capiti impietas tela minata tuo.
Adfuit auxilio Iuris KVCHOVIVS *æqui*
Gloria quem Patriæ par quoq; mòrat amor.
Ille tuæ socius per tanta pericula curæ,
Incumbens aliqua parte leuauit onus.
Vos tanquam gemini in tantæ caligine noctis
Tyndaridæ laceræ vos gemina astra ratis.

Vos

Vos reduces postquam rabies turbata quieuit,
Accepit feßis læta carina focis.
Vos exultantes inopino lumine Ciues,
In supremum hilares restituère locum.
Posteritas vos sera canet, vos gloria lethi
Indocilis, celebri laude per ora feret.
Quodq́; olim meritis frondenti ex ilice sertum
*Plectebat quercu * Chaonis orta Dryas,* * tangitur corona querna seruati ciuis præmium.
Seruatam ob patriam, ciuesq́ue à morte reductos
E geminis vobis plectet auita Fides.
Vtiminor, verisq́ue in secula laudibus ite,
Immò, nec ite quidem; Currite, Fama vehet.

AD AMPLISSIMVM SENATVM POPVLVMQVE AQVISGRANENSEM ODE

Synchartica protreptica.



Mbuta nullis arma cruoribus,
Illata vestris mœnibus, impiam
Exterminarunt vrbe pestem
Omne nefas animo mouentem.
Non decolores sanguine vidimus
Vrbis plateas, nec nouâ acinaces
Incude conflatos in hostes
Cæsaris imperio renisos.

Belli secundos & tamen exitus
Fortuna nobis annuit, & sui
Oblita iam Bellona moris
Cædibus abstinuit nocentum.
Jam turbulento læta negotio
Erynnis urbi ter miserabili
Cladi inuoluta nil reliquit
Præter atrocem animum, & furorem.
Diro excitantem incendia fomite,
*Sus deq; habentem, quam * Lua criminum,*
*Sero * palimpsesto legendam*
Vindicibus seriem resignet.
Nec parcitum illi, sed tuus Indiges
Vim deprecatus Carolus. & Tui
Patrona templi ô plebs Aquensis,
Depulit à iugulis ruinam.
Jniuriosis Curia fascibus
Tandem expedita est, Patria Ciuibus,
Sibiqúe faustis restituta
Omnibus fruitur quietè.
Respira Aquisgranum *immemor omnium*
Gaude cicatricum: at veteris notas
Cortagij obduc, ne recenti
Vulnera hient medicata succo;

* Dea lustrationis.
* tabula.

Ne

Ne purulentus triste redulceret;
Pruriga vulnus. Occidit occidet
Fortuna Aquisgrani *reductis*
Hæreseon furijs priorum.

PARAENETICON EPINICION

AD CATHOLICOS CIVES AQVENSES, IN REM, LIBERTATEMQVE PRISTINAM VINDICATOS.



Agni Plebs Caroli, Regumque annosa Clienta,
Indictam nec Te Musa tacere potest.
*Nexa comam * Daphnidos philyris Elegeia, victrix* * Lauri folius.
Carmen hiat, bijuges sollicitatque rotas.
Alternis ardetq; modis Tua dicere facta,
Vt Te post genitis fama venarret anus.
Plebs Caroli, iam tolle manus, iam lumina tolle,
Jam caput oppressum subrige læta polo.
Sunc seruo laxata iugo, Regalia colla:
Reddita captiuo libera tecta Lari.
Lentans velligero Nemesis vestigia passu,
Jn coniuratum proruit ansa scelus.
Iniectoq; vnco fugientia tergora adhamans,
Terruit incautos ense minace viros.

Tum fassos rerum Dominos furiata reliquit
Hæresis, atque Tuos rettulit ante pedes.
Tum raptas Urbis radioso pectine claues
Impegit palmis exululata Tuis.
Tum cultu viduata suo, Dominaq; superba
Laruam exuta genas Hæresis erubuit.
Si tamen erubuit, frontis quæ nescit honorem,
Et didicit vitijs depuduisse genas.
Hæresis illa tamen Fidei prostrata duello,
Sub Stygios fugit longè inhonora lacus.
Cristata vt volucris stabuli se condit in vmbra,
Quando minor cortis Rege potente cadit,
Regificum victorq; gradum per sordida regna
Grandit ouans, cantu lætitiamq; ciet.
Plebs Caroli trepido iam pectora solue pauore,
Imple gratificis astrica templa sonis.
Hæresis occubuit, facie metuenda triformi
Bellua, lernæo vel grege cincta caput.
Sic Amphionio structæ modulamine Thebæ,
Plausa motarunt vitrea tecta manu.
Cùm longum Cadmus porrexit iugere monstrum,
Et vomuit dentes ore cerasta feros.
* Cadmus. *Sparsitq; armigero sulco * Sidonius Heros,*
Diri Mauortis semina & arma Virum.

Sic Argos vanæ Iunoni indixit honores,
Interijt Lerna cum cinefactus hydrus.
Sic lætum pæana iugi cecinêre bicollis
Indigenæ, & tripodos procubuêre specu.
Delius vt iuuenis lunauit cornua, & icti
** Pythonis trepidam sanguine tinxit humum.* * Serpentis ab Apolline confixi.
Sic ne cassa sequar vatum commenta priorum,
Isacidæ votos instituêre dies.
Templaqúe sacrifici mactarunt nube vaporis,
Fudit vt infestos gens recutita Syros.
Plebs Caroli plausus gemina, laudesqúe recanta,
Quam non fallaces implicuêre doli.
Ceu Philomela suas, quæ soluit glutine tricas,
Indocili effugiens gutture dulce canit.
Ceu pecus æquoreum exultim per marmora ludit,
Si rumpat griphos præde marine tuos.
Vt pauidis implet cælum balatibus agna,
Excussa impasti dentibus agna lupi
*Plebs Caroli benè firma animo, * vt septemplice pelta,* * Fortis animus septemplici scuto comparatur Heptaboeus.
Diceris quondam nobilis historia.
Te si tentato insistas vestigia cliuo,
Trans orbis metas fama citata vehet.
Sed tamen ô Caroli Plebs constantissima, cautè
In tumido cohibe gaudia clausa sinu.

Infrendens videri, vt pregestiat atra colubris
*Tempora sub * Baias Hæresis ire tuas.*
En iterumq; iterumq; feros de crinibus angues
Pectit, & in gremium spargit vbiq; Tuum.
Fel caue vipereum; ceßim erectamq; reclina
Hæresin, & presso sub Styga mitte pede.
Polypus in ludo est, qui non mitescit in vnda,
Nec nisi centeno verbere, vescus erit.
In triuijs naso barrus ridetur obunco,
Qui semel offenso cæspitat vsque gradu.
Post sapit, atq; manum retrahit piscator inermem,
Ictus cæruleas cùm rubefecit aquas.
Ter quater icta malo Caroli sæpe Regia Plebes;
De te victura consulito historia.
Et caue ne cauda te verberet Hæresis ictu:
Scorpios extrema parte timendus erit.
Hæc tibi dent Superi, quorum lecta ossa salutas,
Posthumaq; antiquo Lipsana more colis.

* Thermas.

APEV-

APEVCTICON, SEV VOTVM CATHOLICVM

PRO FACTIOSA AQVENSIVM HETERODOXORVM TVRBA, AD LOCVM SEDITIOSIS APVD INFEROS destinatum ruente.



INcommendati fax seditiosa popelli,
E Phlegethontæis orta voraginibus,
Ausa inconsultè Caroli carissima Magni
Lipsana turbinibus dedecorare tuis;
Ausa feris sæuire animis, excire tumultus,
Illicita in proprios arma vibrare Duces,
In stygijs te te pœnam inspectare cauernis,
Non est è vetulæ fabula ducta colo:
*Scis quam quæsitor moueat * Gortynius vrnam* * Minos.
Scis non audiri vota, precesq́ue rei.
Scis Gnossum vltrices Rhadamanthum poscere pœnas,
Supplicioq́ue graues æquiparare dolos.
Ceu quondam affectans indebita regna Gigantum
Vafra cohors perijt fulminis vsta febri:
Sic aurigandas dum vis tibi sumis habenas
Vrbis, inocciduo iura datura die,
Grande supercilium vis fregit Olympica tandem,
Hoc grauiore manu, quo grauiore pede:
Nec satis est priscis iterum parere lupatis,
Turgida Cæsareo subdere colla iugo.
Grandius in Sicula exitium iam cuditur AEtnâ,
Ibis ad infernas triste bidental aquas.
In stygijs Phlegyas infelicissimus omnes,
Hac aggressurus voce sedebit agris:
Discite iustitiam Hæretici, & non temnere Diui
Cæsaris imperium, Cæsareamq́ue manum.
O dolor! o gemitus! quæ te furiauit Erynnis,
Quæ te perpetuæ mortis Orcus agit?

*Quæ te parturijt, quæ te enutriuit * Hyæna*
Gens occæcatis prodigiosa ocuiis?
Heu quàm ignara viæ, certaq́ ignara salutis,
Dum cupienda fugis, dum fugienda cupis.
*Vt perpes pereas non est nostra illa * proseuche,*
Propria culpa facit, non aliena ream.
Non cupimus fixis tollaris in aëra cristis,
Escaq́ sis auibus pendula carniuoris.
Non vt detestandùm armamentaria cæli
Tela trisulca nefas perdomitura pluant.
*Non vt te plena traducens * Porthmeus alno,*
Sub grauiore grauis pondere cymba gemat.
Non vt monstrosi custos perterreat Orci,
Cui triplex lingua est, fauxq́, caputq́ triplex.
Non quas Salmoneus soluit, te soluere pœnas
Optamus, non quas Tantalus, aut Tityus.
Non vt cum Lapithis, Ixione, Pirithooq́
Immineat iam iam deruitura silex.
Vt perpes pereas non est nostra illa proseuche,
Propria culpa ream, non aliena facit;
Siste tamen, festina gradum, da vela retrorsum,
*O * pathicæ Hæreseos cæca propago redi,*
Ad veteres fidei calles, sensusq́ priores
Lutherane redi, plebs furiata redi,
Cùm serpente cutem, & scelerũ proscribe senectam,
Informem formam pone supercilium.
Exue degeneres animos, moresq́ sinistros:
Turpe fuit labi: surgere laudis erit.
Sol cadit, exoritur, decrescit Luna, recrescit,
Lux noctem radijs pellit amica suis.
Surge, locus veniæ est, habeant peccata regressum,
Ne veniat tacito pœna seuera pede.
Sit mens vna, sit vna fides, ouiumq́ magister
Vnus, vt vnius caula sit vna gregis.

F I N I S.

* Animal ...erum, & crudele.
* Oratio.
* portitor.
* Lasciuę.

